



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Apologia Pro Conscientiis infirmis, Sev Responsio Benigna
Pro securitate dictaminis practici super certa
probabilitate fundati**

**Fibus, Bartholomaeus
Schweitzer, Johannes**

Coloniæ, 1682

Ad Benevolvm Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39304



AD BENEVOLUM LECTOREM.



Ditus est in lucem hoc anno
libellus quidam sub titulo
DISSERTATIONIS
TRIPPLICIS, ad mentem
trium Ecclesiae Doctorum
AUGUSTINI, THOMÆ,
BERNARDI: cuius tertia Dissertatione agit
de RADICE Damnatarum Propositionum, quam Author afferit, & imperi-
tis persuadere nititur esse Doctrinam de li-
cito usu Opinionis probabilis, in con-
cursu probabilioris & tutioris. Huic
Libello RESPONSIONEM paro, quam in-
scripsi BENIGNAM, tum quia Doctri-
nam continet, quæ est secundum pie-
tatem i. Tim. 6. id est, quæ favorabilis &
secura est pro infirmorum Conscientiis :
tum quia ad legem charitatis, quæ pariens

A 2

cst,

AD LECTOREM.

est, benigna est, i. Cor. 13. Non reddens
malum pro malo, calatum attemperavi;
condonans ex animo, quod peccavit in me
Frater, quicunque non contentus approbas-
se libellum DISSERTATIONIS TRI-
PLICIS, concupiscentiae insuper seu propriæ
seu alienæ sacrificium haud legale præsttit,
in quo consolatur me istud Augustini: quo-
niam Sicut nemo justificatur alienâ
laude, ita nec læditur infamia falsâ.

Quantulicunque hujus à me suscepit labo-
ris pro vindicanda Fideliū libertate, quam
habemus in eo, qui contestatur Matth. II.
Jugū meum suave est & onus meum
leve; à te mercedem aliam non expeto;
præter id, ad quod centies appello, æquum
& prudens judicium. Subintroierunt e-
nim quidam (liceat phrasi Paulinæ uti) ex-
plorare libertatem nostram, quam
habemus in Christo JESU, ut nos in
servitutem (duri admodum jugi & one-
ris importabilis) redigerent, quibus
neque ad horam cessimus, ut veritas
Evangelii (suavitasque jugi & levitas o-
neris, quod Christus imposuit) permaneat
apud vos. Gal. 2.

Opto hoc unicè, ut quisquis munia Boni
Pastor-

AD L E C T O R E M.

Pastoris obire desiderat, pro cuius potissimum
solatio & instructione hanc Apologiam con-
cepi, nōrit ex his, & sollicitè curet seipsum
probabilem exhibere D E O ; quod Pau-
lus Timotheo tam sollicitè commendabat;
& juxta salutiferam in Ecclesia Doctrinam
Probabilisticam, quæ merito suo dici potest
Doctrina Prudentium facilis, Prov.
14. conscientias hominum tot ac tantis in-
firmitatibus subjectas, ubi sic necessitas exi-
get, cum sale discretionis ad salutem diri-
gere, aurei istius moniti ubique memor:
Nonne melius est, propter misericor-
diam rationem reddere, quam pro-
pter crudelitatem? Ubi Pater - Fa-
milias largus est, ut quid Sacerdos e-
jus austerus? vis apparere sanctus?
circà vitam tuam sis austerus; circà
alienam benignus. Ita Richardus de
S. Victore ex Authore operis imper-
fecti.

Vt autem, quid vocibus significetur, in-
telligas, Lector, probabilisticam nōris
vocari opinionem, quæ probabilitiora & tu-
tiora ex obligatione semper esse tenenda con-
tendit: Probabilisticam vero, quæ in
dubio Iuris licitum esse sustinet, sequi sen-
tentiam

AD LECTOREM.

tentiam certo & strictè probabilem. Quid nomine & re significatâ Opinionis probabilis intelligatur, paulò post exponetur. Dubium Juris dicitur, cùm dubitatur, an aliquid licitum sit: ut E. C. An licitum sit baptizare in aqua rosacea? Dubium facti est, cùm extra prædictam liciti rationem dubitatur, ut E. C. An aqua rosacea sit materia sufficiens ad valorem Baptismi? cetera patebunt per decursum. Calamo hac dabam Calendis Martii 1682. quando eis typis vulganda fuerat Apologia, nisi tempora vetuissent, quibus seruendum fuit.



RESPON-